

MS  
60

70  
N 60



9 Ms 60

06 a 024590



Venerande D<sup>ni</sup>. Pastor,  
Dilectissime in Jesu Christo  
Frater,  
D<sup>ni</sup> Petre Passi,

Inter studiorum meorum oblectamenta saepius  
mibi in mentem venit tuum illud, vel deus repe-  
ditum effatum,

Nullum dari realem A-  
theistam,

quod accuratius considerando, et aequa Sanctuarii lan-  
de ponderando, cum Scriptura sacra ac mente sana  
et pure Theologica consistere posse plane nego.  
Manum ergo chartae admani, et sequentia, calamo obtem-  
poris angustiam curente, conscripsi, quae aequi boniq;  
ut consulas, fraternè et obnixè rogo.

Omnia haec in re controversia latet in hysce duabus  
vocibus, sc. **I. Realiter. II. Atheista**, quas mihi dis-  
cutiendas proposui, qui pateat veritas evincendo dari  
utiq; realem **Atheistam**. Haec mea mens est, tua  
plane contraria. Iva itaq; **Vocem**

Primam, Realiter, est hæc adverbium desumptum ex vocula RE, et ejusdem sensus ac reapse, reipso, revera, et usurpatur, cum sermo est vel de veritate alicujus rei quæ revera existit, vel de vero modo cujusdam rei existentis, quod ita se habeat, uti verè diximus: huic voci RE, aliter opponitur, cum aliquid dicatur vel affirmetur verbo, specie tenus, quod non revera est, nec realiter ita se habet, sed saltem apparenter. Usurpatur itaq' hæc vox realis vel realiter de

1. De quadam revera existente in rerum natura, ut vel coeepis vel mentis expertis sit, qui illam pernegaverit, e. gr. si quis inficias eat coelum, solum et salum, cum conditis suis creaturis realiter existere, quæ tamen oculis nostris ubiq' obvia sunt: hoc sensu statueri velle, nullam realem (vel in rerum natura existentem) dari Atheistam, est Scripturæ Sacrae ad eos Spiritui Sancto, ipsi in os contradicere, cuius toties repetita de talibus Atheistis querela aures nostras fat superis personant, imò ipsam negare experientiam, veritatis Magistram, quæ tot invictis argumentis demonstrat, nec præteritis et primis, nec presentibus & ultimis seculis, maledictam terram hinc unquam spem caruisse.

2. rei modo, vel qualitate rei existentis, ut cum quis asserat, rem aliquam tali modo se habere, alter vero negat, illam non realiter tali modo existere, sed saltem apparenter, juxta externam speciem et internam imaginationem et vulgi opinionem, e. gr. unus dicit, coelum æreum, quod videmus, coeruleum est colore; alter vero contradicit, non realiter est coeruleum, sed ab interventum æris Solisq' corpus obscurius illuminantis, tali colore imbutum apparet; nec tamen coelum ab utroq' negatur, licet unus illi

hunc, alter illum tribuat colorem. De similibus idem est ju-  
 dicium, ubi disputatur de modo rei existenti, non tamen ne-  
 gata ipsa rei existentia. Hanc tuam esse mentem conjicio;  
 putas forsitan, nullum talem dari **realiter Atheistam**,  
 qui toto corde, pleno ore omniq' vita negat vel negare potest  
 Deum esse. Num vero falsi inveniatur in tuo vocabulo  
 quod non potest recipere, i. Job. 2. 19. Despicendum nobis postea:  
 ut concedatur distinctio inter **Atheistam impudentem**, qui  
 plane et continenter Deum negat, qui tibi **realis** videtur;  
 et inter **Atheistam hypocriticum**, qui ore quidem Deum  
 confitetur, in conscientia tamen de eo ejusq' Divinis attributi-  
 bus dubitat, et factis illum abnegat, Tit. 1. 16. annon ubiq'  
 a Spiritu Sancto **Atheista** nomine insignitur? et quocumq'  
 tandem modo Deum negaverit, annon **realiter existit**?  
 annon **realiter est Atheista**? modus enim rei non tollit  
 ipsam rem vel naturam rei. Justissime autem a Summo  
 Coelesti Judice examinanda et damnanda sunt omnia  
 facta, quin etiam **omnia** verba, imo omnes impie co-  
 gitationes, quae **Atheismum** quendam redolent, at si nul-  
 lus talis vel corde, vel ore, vel opere extaret **realis Athe-**  
**ista**, cum tamen **omnia** verba, facta et cogitationes Deo  
 sunt **realia**: utiq' nullus foret **Atheista** damnandus et  
 judicandus; quod quidem optandum, sed non sperandum.  
 Tantum de voce **realiter**; transeamus jam ad

**Secundam**, quae est **Atheista**, origine Graeca,  
 derivata ab α privativo et nomine Dei Θεός, sonatq' sine  
 Deo, et hoc impietatis stigmatem notantur omnes **reales Athe-**  
**ista**, omnesq' incredulitatis filii, qui revera sunt **reales**  
**Atheista**, Eph. 2. 2, 12. vel corde, vel ore, vel vita, vel  
 simul, aperte vel hypocritice Deum negantes: id quod ex

Atheista & Atheismi <sup>definitione</sup> planum et perspicuum erit.

Stapleton p. 1. Orat. p. 418. Depingens Atheismum  
 dicit: Atheismus est non solum nullus /: vel nullius /: aut  
 plurium Deorum cultus, sed etiam ipsius veri  
 ac unius Dei non veris, non legitimis cultus:  
 Et in demonstratione principiorum fidei p. 185, Atheos  
 vocat, qui respuit veram & sanam doctrinam,  
 quam Ecclesia iuxta prescriptum Dei verbum  
 docet ac tenetur; et hoc probandam suam sententiam  
 addit exempla, dicens, ob hanc causam Arrius vo-  
 catur Atheos ab Athanasio: Elinomius a Hiero-  
 nymo, et Aetius in Ecclesiastica historia; Chri-  
 stus etiam Ethnicum & Publicanum illum di-  
 cit, qui non audit Ecclesiam. Matt: 18. Hac ille.  
 Cum quo consentit Paulus Voetius in sua Theologia  
 naturali reformata, p: 16. dicendo: nemo directe et  
 immediate potest negare Deum; potest tamen  
 negari per consequentiam, etiam dum firmiter  
 tenet esse Deum. Ut si Deo curam huius  
 denegat, si omniscientiam, omnipotentiam illi  
 detractam velit, aut alia quaequam attribu-  
 ta Deo essentialia: cum qui denegat aliquod  
 attributum, quod est ipse Deus, per consequentiam  
 Deum negare sit dicendus. Quo etiam sensu Apo-  
 stolus ait, gentes esse in mundo sine Deo, ephes. 2.  
 in quantum Deo non tribuendo quae Dei erant,

cūmq' non colendo, ut colendus erat, arguitive Deum  
 non agnoscebant. Et sic uterq' pro **reali Atheista**  
 illum reputat, qui non solum vel nullum Deum agnoscit, vel  
 plures Deos colit, sed etiam qui Deum non verè et sanctè  
 colit, ejusq' verbum & doctrinam rejicit vel quoad totum,  
 vel quoad partem, vel impias de Deo cogitationes fovet,  
 detrahendo et denegando Deo ea quæ Dei sūnt. Vide ne  
**realem Atheistam**, quocūq' tandem modo /: si non  
**realiter** hominibus, tamen Deo, qui arcana mentis perferuntur  
 tatur: se patefecerit suamq' prodiderit impietatem.

Hicce consonant nostri Orthodoxi Theologi, à quibus  
**atheoi** dicuntur illi, qui sūnt sine Deo quoad **theori-**  
**am et praxim**, non quidem simpliciter, sed secundum  
 quod: et sic hec vox accipitur et usitatur de

**I. Infidelibus extra Ecclesiam.** ob defectum  
 cognitionis Dei, non naturalis, sed salutaris, ideo expresse  
 vocantur **atheoi** Eph. 2. 12. *si quales atheoi fuerint*, declarat  
 Paulus Tit. 3. 3. *si ἀνομοι, ἀπειθεῖς, ἀλογιστοί, ἄθεοι,*  
*καὶ ἐπιθυμῶντες καὶ ἠδοναῖς ποικίλαις, ἐν κακίᾳ καὶ ἰδο-*  
*νῶν διαζοντες, στυγροὶ, κακῶντες ἀδελφῶν,* /: quæ sane omnia  
 realem nobis exhibent definitionem & descriptionem vivis de-  
 pictam coloribus **realium Atheistarum**: /: erant enim  
 mundanis deliciis et sordibus immersi, ideo verum Deum non  
 agnoscebant, Deum illum parum curabant, et ab ipso vicissim  
 negligebantur, ut peregrini et sine Deo: cū tales antea  
 fuerint et hodiernum sint Gentiles, quæro, an quis dicere au-  
 deat, nullum realem **Atheistam** dari? Quem enim  
 vocabis **realem Atheistam**, si illi non sūnt, qui Deum  
 parvipiciunt, et à Deo ob affectatam et malitiosam ignoran-  
 tiam & impietatem contemnantur? Punitur enim Dia-  
 bolicis illorum **Atheismus** lege talionis; sūnt quippe **atheoi**,  
 sine Deo, qui Deum non curant, erunt ergo et **atheoi**, sine

Deo, quos Deus non curat, et ut non norunt Deum, 2. Thes. i. 8. et ignorantibus eum serviunt iis, qui natura non sunt Dei, Gal. 4. 8. si etiam Deus tandem illis dicet non no-  
 vi vos. En! dabis iterum descriptionem realium Atheista-  
 rum Gentilismi, qui licet sciant summum quoddam Numen esse, tamen dicuntur non nosse et ignorare Deum,  
 quia non sancto et vero cultu illum honorant, et tales sunt  
 revera reales Atheista, nisi Spiritui Sancto et Viris  
 Sanctis ab illo actis contradicere cupis. Verus enim Deus  
 non est nisi Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus in  
 essentia, trinus in personis, quem qui ignorant, in natu-  
 rali sua corruptione et affectata coeetate permanentes,  
 cognitione Dei et Jesu Christi salvari destituti, rea-  
 liter Athei sunt, etiam reliqua omnia in vita recte et  
 honeste habeant. Si ergo Gentiles non sunt reales A-  
 theista, nullus omnino erit realis Atheista, sed im-  
 pium justificare, Deo abominationem esse,  
 dicit Salomon Prov. 17. 15.

2. Homines in Ecclesia, quorum duo  
 classes sunt, sc. 1. Hereticorum. 2. Hypocri-  
 tarum, qui vel falsa doctrina, vel impiis cogitationibus de  
 Deo, vel nefaria vita, Deum negant, de quibus summum est  
 apostolus 1. Cor. 17. 34. αὐαβίαρ Θεῶν ἔσβιν, ignoran-  
 tiam Dei habent, non quod simpliciter Deum ignorarent,  
 sed quod Deum contempnerent, impie de illo sentientes, im-  
 pie contra illum viventes, absq' metu nominis Divini, absq'  
 religione, absq' reverentia Sanctorum Angelorum & piorum  
 hominum, non reputantes ~~procedendum~~ Deo adversam esse  
 illorum impietatem, nec perpendentes, illum fore tandem  
 seclerum justissimum Vindicem. Vixne tales vocare  
 reales Atheistas, cum apostolus eos hoc insigniat nomine?  
αὐαβίαρ Θεῶν ἔσβιν, quid queso aliud est, quam



ipsa & Deo'us? realitatem hujus & Deo'cylos vide,  
bis in sequentibus.

Deum verbis tuis. nullum dari realem Atheistam,  
diligenter attendero per conjecturam concludo, sane sciam  
esse mentem, nullum dari hominem tam recordem, barba-  
rum & infaniam, qui Deum esse negaret: si huc cum voce  
tua realiter respicis, tecum est in hac re consentio, et iterum  
a te dissentio. Ad aperiendam meam mentem & proponam  
Atheistarum classes.

Class: I

Prima Atheistarum Classis est eorum, qui  
Deum quidem Creatorem coeli et terre agnoscunt, sed quis sit  
ille ignorant, vel affectata coecitate et malitia ignorare illum  
volunt. Hoc tibi concedo, omnes nationes et populos agno-  
visse, Numen quoddam supremum esse colendum, adeo ut  
Athenienses etiam altare Deo, sed ignoto, extruxerint,  
et et. 17. 23. Quid? quod Cicero florentis Romae causam re-  
ligioni Deorum assignet, sic pro concione ad populum  
fando: Non numero Hispanos, nec robore Gallos,  
nec calliditate Paenos, nec artibus Graecos, nec  
nativo sensu Italos, ipsos & Latinos: sed pietate  
et religione omnes gentes superavimus: quin etiam  
Athenienses cultui Summi Numinis cuiusdam adeo erant  
addicti, ut cum Protagoras abderita edito suo libro  
tale initium dederit, de Diis, neque ut sint, ne-  
que ut non sint, habeo dicere, spiritus, epul, Athe-  
mis repulsus, in altam detrusus sit solitudine, nec me-  
liorem expertus est sortem apud Athenienses Anaxa-  
goras, qui cum de Eclipsi Luna, postquam hanc ut Deam  
colendam & adorandam elegerint, traxisset, carceri in-  
clusus est. Verum itaq' est illud Ciceronianum, nulla  
gens est, neq' tam immanis, neq' tam fera,

quæ non, etiam si ignoret, qualem Deum habere  
 deceat, tamen habendum sciat. Quam notitiam Dei  
 naturam insitam impiè et præfractè pernegant Sociniani e.,  
 quibus hæcæla, à Doctissimo et de Ecclēsia Dei bene merito  
 Dn: Calovio in System: tom: 2. p. 73 sequ. fat refutati; ubi  
 tandem sua argumenta concludens illis Sociniani discipulum  
 Crellium opponit, sic hæc de re differentem: licet hodie  
 populi reperti sint, in quorum aliquibus nulla  
 propemodum videatur extitisse de Divinitate  
 opinio, tamen longè plures fuerunt reperti,  
 in quibus Divinitatis opinio extitit, licet alias  
 barbari essent, et ab Humanitatis cultu alieni:  
 Deinde testantur historia, eas nihilominus gen-  
 tes, in quibus Divinitatis opinio videatur ex-  
 titisse nulla, Dæmonem habere aliquem, quem  
 metuant, et, ne noceat, vereantur. Est enim  
 et hoc Divinitatis ac religionis, quamquam in contrarium  
 detortum, vestigium. Nec dissimilem huius Socinianorum  
 mentem fœvit Isevitaster ille Renatus des Cartes,  
 affirmans, quempiam licite de Dei existentia  
 vel in aliquo temporis momento dubitare posse;  
 quæ sententia, cum lata, ad Atheismum sternat viam,  
 à Paulo Vœtio invictis argumentis test refutata.

Sit itaq, nullum tali modo realiter Atheistam  
 dari; quæro, amon profani domines eò interpretatis deve-  
 nire queant, ut, ad tempus soporata conscientia ac cauteri-  
 tati, distinctum Divinitatis sensum nullum habeant. in  
 tantum enim ignorantiam prava dispositionis affectare

possunt, ut, dum sibi ipsi persuadere conantur, non esse ullum  
 Numen, se quasi decipiant, et in aliquem absenspiru opinabi-  
 lem circa Divinae existentia negationem trahant; non aliter  
 atq' homines deceptores et mendaces assiduitate mentiendi-  
 talem acquirunt dispositionem, ut se ipsos decipiant, sed  
 vera didere opinentur, etiam dum mentiuntur quam maxi-  
 me: sed de talibus Atheistis in sequentibus dicendum. Possunt  
 etiam alii extra hominum consortia educati, et forte, vel  
 quasi, in deserto enutriti, Deum non satis conscientiam ex-  
 aminant, habere ignorantiam pura negationis, omni actu-  
 ali Numinis cognitione destituti. Et osi: nostra terra  
 quosdam ab infantia tali modo educatos apud illos, qui  
 Parentum ip' liberos, et Christianorum in animas sangui-  
 ne Christi redemptas mentem exuerunt, non protulerit!  
 Nemo sane hoc inficiabitur, repertos fuisse homines, et  
 etiamnum reperiri, qui aut adeo contumaces, ut illius pro-  
 positionis veritati contradicant, de qua certo persuasi sunt,  
 idq' vel solo veritatis odio, quod ex natura peccati in Spi-  
 ritum Sanctum manifestum est: s: ex quis hos non dice-  
 ret **reales Atheistas**, cum illorum peccatum sit irre-  
 missibile Matt. 12. 32. : aut adeo stupidi et tardi, ut ter-  
 minos etiam multoties explicatos non probe percipiant,  
 unum verum Deum, tresq' in Divinitate personas, earumq'  
 in nos collata beneficia plane ignorantes. Dijudicent  
 alii, sintne hi revera Christiani, an **reales Atheiste!**

Concessi antea, Gentilium puriores, lumine naturae,  
 semper aliquod Numen supremum agnovisse; sed tamen **re-**  
**ales Atheiste** erant, ut ut illos vocat Paulus Ephef. 2. 12,  
 quia non recte cognoverunt Deum Patrem, Filium et  
 Spiritum Sanctum, in essentia unum et in personis trinum,  
 Deum quidem agnoscebant, sed non ut Deum glori-  
 ficabant, nec gratias ei agebant; sed inanes facti

sunt in cogitationibus suis, et obscuratum est eorum cor insipiens: at quomodo? dum mutarentur gloriam Dei, qui non corrumpitur, in similitudinem imaginis corruptibilis, et in similitudinem volatilium & quadrupedum et reptilium, ut Paulus de illis testatur Rom. i. 21, 23. Dicant Philosophi naturales Deum esse, sed quare ab illis, quis et qualis Deus sit et quoniam vero cultu adorandus? alium ipsis erit silentium, vana faucibus daretur, et illorum ignorantia et inscitia definet tandem in apertam Idolatriam: tali falso cultu Deum prosequi, idolis gloriam Dei, nemini concessam Esa. 42. 8. tribuere, estne realem agere Atheistam? Et quis realium Atheistarum numero excluderet hodiernos Turcas, Scythas, Arianos, & Barbaros omnes, qui verum Deum ignorant, verum Dei cultum, veram religionem, verum Dei verbum, veramque salutis viam contemnant ac respiciunt? Laudandus sane, ut in aliis plurimis, sic in hoc, laudate satis et beata memoria Th. Calovius, qui t. i. p. 16. a. Bibl. illustr. merito Petrum Cincum Atheista nomine notat, eo quod in suis scriptis salutem Judaeis sine notitia et fide Messiae tribuerit.

Progrediamur jam ulterius demonstraturi, tales re, vera dantur reales Atheistas, qui Deum agnoscentes non tamen ut Deum coluerunt. Quare ergo primum, quod nam fuerit causa submersiois et interitus primi mundi? Idolatriam vix dixerim, haec enim post diluivium tandem videtur exorta, arguit illos Sacra historia magis Atheismi quam superstitionis, et illos citius nullum, quam plures habuisse Deos, verisimile est. Erantne epus perverse aetatis homines reales Atheiste, qui omnem Dei oblatam gratiam, omnesque datas per Praeconem justitiae

admonitiones floccifecerunt? Cū itaq' Deū regnantem  
in coelis illū gratiam offerentem agnoscere nollent, expe-  
rarentur illū severā scilicet iustitiā eos per aquas destruentem.

Qualem mihi Deixiges Atheistam Neronem, monstrum  
illud hominis horrendum? Atheistamne realiter, an spe-  
cie saltem? O quam blasphemā evomuit verba impudicus illud  
os, cū à Seneca admoneretur, vitam sic ageret, ut facta sui  
peri comprobarent; Stulte, inquit, verebor esse, cū  
haec faciam, Deos? Et quis omnia ejus nefanda sceler-  
ra enarrabit? Hic, realis Atheista, Deū quidem  
non ignoravit, at tamen illum contumaciter contempsit, nec  
ut iustissimum scelerum iudicem ac vindicem reveritus est.

Quid dicit de Anti Christo Occidentali et  
Orientali, amonitery realis Atheista, quō infer-  
riorem hostem non agnoscit? Deus episcopi Ecclesia? qui omnem  
Hierarchiam Ecclesiasticam profanat, abolet et perturbat: Occi-  
dentalis enim Sacrum ordinem immutat, dum novos institu-  
endo ordines, et veris à Christo institutis derogando, quā verbi  
predicium negligens, Missaticum proprimis sacrificium ur-  
get. Sacramentis mysticis plurimum derogat, rotha et ad-  
versa succenturiat exaltat. Ordinem Politicum supplantat,  
à curā Sacrorum relegans, et quoties sic commodum est  
Cathedra, quantum in ipso est, succollans. Deniq' Statum  
Oeconomicum cū Politico profanum declarat, eidem per  
coelibatus ordinum Sacrorum, quos vocat, et vota Monacho-  
rum et Monialium maximeperē derogans, eūq' concessione  
incestuosorum conjugiorum, scortationum, Potomias, etc. de-  
honestans: et quō rei summa est, Vicarium Christi ca-  
put Ecclesiae se vocat, bicapitem sic faciens Dei Eccle-  
siam. Orientalis autem Anti Christi in Hierar-  
chiam Ecclesiasticam molitiones impias ecquis ignorat? ut-  
pote quō Christum Ecclesiae caput folio deturbet, evellens

super ipsum Mahumetum suum, et loco Ministrorum Christi,  
 sibi interrogans flamines Muhammeti, loco Verbi Divini Decoran-  
 tum suum maxime profanum et blasphemum: quod Politiam  
 turbet, supremam Monarchiam à Deo sanctam, dejicere satagens,  
 et omnia latrociniis destruens. Denique Oeconomicum statum pro-  
 fanet polygarnias simultaneas inebens et concedens, et quod  
 Coelorumque ipsius alia sunt propemodum innumera. Hoc  
 si non vocaveris reales Atheistas, idem est, ac si dices,  
 res, non dantur reales Diaboli, nec reales Diaboli fili-  
 i, quo nomine notatur Elymas ille Magus à Paulo Act. 13. 10  
 ubi à Divo Johanne omnes reales impii, i. Joh. 3. 10.

Secunda Atheistarum classis est eorum, qui  
 nullum Deum habent, s. verba sunt, non mea, sed In. Clavii  
 Bibl. illustr. t. 4. p. 680. a. s. si nullum habent, ritio sunt  
 reales Atheistae: Sed quoniam sicut hi? Lucippus et Epi-  
 curus, eorumque sectatores, qui Deum plane negant, statuentes,  
 4 mutabilia elementa unamque immutabilem quintam esu-  
 sentiam, aternitatis lege sibi constituta nulli indigere Deo;  
 Atomos mundum produxisse, ornasse et ordinasse sine  
 ulla summi Numinis potentia, qui Deum à mundi  
 creatione & gubernatione excludunt, amon eadem con-  
 tumacia et impudentia illum ab omnibus aliis rebus  
 excludunt? Hi revera sunt reales Atheistae, qui  
 voluntario, contumaciter et violenter extinguunt Scri-  
 pturae lucem Solarem, creaturarum lumen Lunare, quinimo  
 omnes naturae radios et scintillas, quò eò securis sine  
 metu Numinis Divini impia sua prodehere queat tene-  
 brarum opera: similes haec in re, non Atheniensibus, dedi-  
 cantibus quidem ignoto Deo altare, sed nocturnis, lucem  
 vitantibus, tenebras vero amantibus, dum in se suisq' cordi-

bis totaliter et realiter expungunt omnem Deum, cultum,  
 religionem et altare, et suffocant omnia argumenta, omnesq'  
 rationes, quas contra illos illorumq' Egypciacā obscuriore m  
 coecitatem produciunt coelum, solium et salum, omnesq' eo-  
 rum creatura. Tales non solum violentas proprie consci-  
 entis inferunt manus, sūt inde naturā insitis Divinitatis  
 characteres exsculpant, sed et coelo vim, ut Deum throno  
 Majestatis suae deturbent, sitq' illis quasi non ens. Quic-  
 quid vel incipiunt vel faciunt, vel necessitati facti, vel con-  
 tingentia fortuna adscribunt, te facimus, Fortuna,  
 Deam, est illorum Symbolum, Atheisticum: vitium a-  
 liquod si commissum fuerit, planetas istius vitii auto-  
 res agnoscunt, culpa mendacii imputabitur Mercurio,  
 homicidii Marti, adulterii Venori, et sic consequenter;  
 tali modo nimium extollentes et (ut ita dicam) Deifican-  
 tes causas secundas et inferiores, Deum, primam cau-  
 sam creatorem, omniaq' gubernantem omni Divinō  
 honore spoliant et expūnt: quasi summus ille rerum  
 Conditor, qui omnes aures, oculos, corda et manus cre-  
 avit, non haberet oculos ad videndum, nec aures ad au-  
 diendum, nec cor ad perforandum, nec manus ad  
 puniendum tales sortendas eorum blasphemias. Qui hū-  
 jus generis homines reales esse Atheistas negat, is eti-  
 am omnem Atheismum negat.

Si quis objiceret, tales blasphemos Atheistas min-  
 quam in rerum natura existisse, illum ad Veterum  
 Scripta et monumenta tam Divina quam humana rele-  
 gamus, quō coecitate contracti oculi lumine veritatis  
 aperiuntur. Nec opus est ad priora recurrere secu-

la, in quibus Gigantes visi sunt quasi Geomachii viriles; potentes  
 riora enim ejusmodi hominum exemplis et historiis scau-  
 tent. Vis peior et realior Atheista Cesare Frederico II,  
 qui talia blasphemata effutire verba non est veritus: tres pra-  
 ecipui et callidissimi mundi deceptores fuisse, Moses  
 scilicet, Christus et Mahometus. Adjuuge hunc Athi-  
 onsum. X. Hispania Regem, dicentem, si ego in ini-  
 tico mundi apud Deum existissem, multa meliori ac  
 sapientiori ordine, quam quae nunc inveniuntur, dispo-  
 sita essent. Et quam blasphemata sunt Papa Leonis IX. ver-  
 ba ad Cardinalem Petrum Bembum, cum diceret, scimus  
 equidem, quantum nobis ac nostro coetui profuerit  
 ea de Christo fabella? Succinit illis Johannes XXIII.  
 qui in ipso mortis agone suam in faciem Dei blasphemiam  
 am espiciens, ab eo, inquit, jam experturus, sitne pra-  
 dam animarum immortalitas, infernus ne an coe-  
 lum quoddam? Et quinam sunt illi in Gallia modo  
 dicti Esprits forts, Spiritus fortes, nisi reales Athi-  
 theista, qui sine fortitudine et contumacia, cum balu-  
 na durissimis squamis, sunt incrassati, ut vel nihil cre-  
 dant, vel tantum, quantum illis licuerit: et quid dices de  
 illo servito Des-Cartes, scilicet cuius antea facta mentio: qui di-  
 cere solitus erat, habeo meam religionem a Rege  
 meo et mea Nutrice; sic nec Deo, nec Diabolo locum  
 aliquem ibi concedit. Et cui non satis notum est, quan-  
 tum impiam Atheistarum prolem Italia reliquerit blas-  
 phemata ille ultimis hujus temporibus Atheistarum Patrens  
 et Antesignanis Machidvellis? Cave, ne hujus et talibus



realibus Atheistis ac revera Diaboli filiis tuo non-  
realitatis blandimento succum facias, quod idem est ac tene-  
brarum in Angelum lucis transformate.

Quid vero tibi videtur de Sadduceis, tempore Christi  
viventibus? amon pagina Sacra illos ut reales Atheistas  
depingit ac definit? Matth. 22. 23. et Actor. 23. 8. eo quod di-  
cant non esse resurrectionem, Angelum, vel Spiri-  
tum. Refert de illis Josephus, quod ita in hominis potestate  
statuerent boni malique electionem, ut nullam quidem ea in  
re censerent Dei actionem intervenire, ferme quomodo Cale-  
stius & Pelagius inter Christianos: cum ergo Deum fecerint  
καὶ οὐκ ἔστι βίβλος, mirum non fuit, illos negasse resur-  
rectionem, Angelum bonum et malum, et animarum  
immortalitatem, quas corporibus destitutas in nihilum  
redire dicebant; anima enim humana illis nil aliud erat  
quam Crasis, seu temperamentum quoddam humorum,  
cui emori multi alii post illos etiam in basere, teste The-  
odoro. Hi Sadducei impossibile esse dicebant, carnem  
et corpus hominis verti in putredinem, putredinem in  
cinerem, & cinerem in gloriam; quibus respondet Augu-  
stinus; qui potuit formare novum, non poterit repa-  
rare mortuum? facilius est restitutio constitutione: nubi-  
lam aliam praeter praesentem vitam agnoscebant, et ne-  
gabant, se tandem resurrecturos et transacta vite ra-  
tionem reddituros; eadem Atheistica opinione labora-  
runt quidam tempore Salomonis, viventem carnem  
mortuam Leone meliorem aestimantes, Cone: 9.  
4. Quis jam diceret, ejusmodi homines, qui resurrecti-  
onem mortuorum, Angelos, animarum immortalitatem,  
coelum et infernum pernegant, non esse reales the-

theistas? An peiores desideras Atheistas illis, qui nec coelum nec orbem, nec gloriam, nec poenam credunt?

At responderet mihi aliquis; mortui sunt Epicurus cum suis Epicureis, et Zadoe cum suis Sadduceis, nullos ergo habere extare homines, qui impias et blasphemias horum amplectantur opiniones. Quis sciam Republica nostra Christiana sic bene constitutam esset! sed experientiam istam provehemur. Evanam et quorundam est illa vox, seu potius grunus, cuius meminit Paulus i. Cor. 15. 32. edamus bibemus; cras enim moriemur? piorumne an Atheistarum? De posterioribus hoc affirmabis, in quorum humilibus erigentur, cum illud Sardanicum Epitaphium Edere, vive, beate xai naise, v' adde ex x'ra enaxpolijvates, quo sempiterna sit illorum impia vite post funera memoria, quam etiam cupiunt Sapient. 2. fr. i. seqq. Suntne hi reales Atheistae, qui cras ridendo moriuntur, hodie bibendo sepe bibunt? quorum Symbolum est, λ'βε βοι το μελλον, accipe tu futura, concede mihi presentia: huius seculo saltem videntur nati; Deum quidem non plane negant; resurrectionem mortuorum non aperte inficari audent, sed sciunt enim hoc non tolerare orbem Christianum; attamen tam secura sopiti voluptate vivunt, ac si nullus foret vel iudex vel iudicium; in mollibus recumbunt lectis, a lectis ad delicias refertas surgunt mensas, a mensa ad voluptates varis in tabernis diversoris, lupanariis, bus, comedis, theatris, etc. pergunt, motu circulari, at illis nulla sunt intervalla piando, ne Epicureis ille Diabolo consecratus intermittatur cultus. Tales reales Atheistae et Christi crucis hostes sunt, de quibus falsis lacrymis conperitur apostolus Philip: 3; qui

omnes admonitiones ad pietatem negligunt, nunquam con-  
scientiam suam examinant, nunquam de futuro iudicio  
cogitant, sed genio suo saltem sacrificant, ventremq' pro  
Deo habent. Et talibus horrendis ac diris Epicuri monstris  
realibusq' Atheistis terram Christianam undiq' refectam esse,  
nemo sanus & sanctus negabit.

Sed dantur etiam inter nos Sadducæi, qui Athe-  
istarum realium nomina merentur? Osi aperti quodam  
stigmatè notati essent! quotquot inter Christianos cum Sad-  
ducæis, neq' resurrectionem, neq' Angelum, neq' infernum esse  
credunt. Scilicet illud tritissimum, *Statisthe* plerumq'  
sunt *Atheista*.? adeo ut Svecorum ille Drakenstermius  
non erubuit dicere, cum meus equus resurrexerit  
à mortuis, ego etiam cum illo, si omnis ejus pietas  
cum impia ejus albigymia evaporavit ac evanuit. Pluri-  
mi sane, pro dolor, per vestigia et ultimis huius temporibus  
inveniuntur, quibus nullus est vel Deus vel Diabolus, resur-  
rectio, coelum vel infernus, nisi sola opinione vel dubitati-  
one; adeo ut etiam divinum Christi Sermonem de Epu-  
lone et Lazaro, Luc. 16. in dubium vocare audeant, et  
sic impudicè mente et lingua futurum aliquod post  
mortem peragent; et si quidem conscientie veritacione  
subinde convicti cogantur fateri, aliquam fore post mor-  
tem iudicii diem, attamen cum illis Amos: 6. 4. 3. triste  
illud tempus longius à se removent, per laudi-  
brum verbum Dei ejusq' comminationes traducentes, sem-  
piternam securitate et impenitentia consopiti. Talepne  
iudicis reales esse Atheistas? dicerem utiq' illos pejo-  
res ipso Diabolo; ille enim credit et contemnit, hic:

2. 10. hi verò nec fidem, nec timorem habent: Diabolus ob adven-  
tū iudicii exhorrescit Matth. 8. 29, sed his saltem ludibrio  
est iste dies 2. Petr. 3. 11. 4. Quid est Diabolus? nisi Apostata,  
Spiritus contumax, Deo ejusq' verbo resistens: quid est cothe,  
ista? nisi incarnatus Diabolus, Apostata veritatem deserens,  
quis corde duro et pertinaci Deo ejusq' verbo non credit, et  
utrumq' spernit.

Miror sanè, te negare velle, realem ullū dari De-  
theistam, cum tot perspicua illorum impietatis documenta  
vel rudis ingenii domitilem hoc docere possint. Visne etiam  
negare Julianum illum Apostatam fuisse rea-  
lem Atheistam? Diabolicus hic homo primum Christia-  
nam professus est religionem, s. verè an hypocritice, eventus  
docuit. Sed postea Imperii summam nactus ab una in alte-  
ram prolapsus est impietatem, usq' dum, in aie contra  
Persas bemicans, hasta coelitus malefactor vubera-  
tus manū cruore sui sanguinis replevit, et versus coelum  
lucine conjiciens, impia hæc eructaverit verba **Vicisti tu  
Galilæe!** Simile quid Hieronymus refert de Analektis,  
quod Israëlitas in Exitu de Ægypto (vel ob lapsitudinem, vel  
ob Legalem immunditiam) extra castra degentes occiderint, et  
amputata eorum membra, in quibus signum Circumcisionis ac-  
cepissent, in sublationem Dei in coelum projecerint. Et ad  
Deo Julianum illum, a quo digressus sum, redeam, extant  
multa eaq' varia ejus impia factiora, quæ breviter enarra-  
re fas est, quò vobis quasi oculis fibatur realis hic Atheista.  
Scias itaq' Magis ineptus illum delectatum fuisse, per Ma-  
gos enim pleriq' feuit, quibus putaret vel delirium populi deli-  
niri, vel militum arma compesci: tanto Christi et Christia-  
norum deo ardebat, ut templum Hierosolymitanum rursus

edificari, eorumq' politiam denuo instaurari iussit: septem  
 libros in expeditione Parthica ad vesperis Christum evomuit, quem  
 Galilaeum ab illo vocatum statim in praelio presentem sensit:  
 Idolorum cultor insanus erat: ut Christianis (posteaquam ab eo-  
 rum fide desiverit) agere faceret, edicta publicavit, et rursus  
 iussit aperiri templa Idolorum, et eis sacrificari: Cruculum  
 et pollinis, quod nato Christo, sicut et reliqua, sublata potesta-  
 te tenebrarum, virtute vera lucis obmutuerat, instaurare de-  
 crevit: mercedem tandem cordis contumacissimi linguaq'  
 putridissima, conto in illis percussus, accepit: et singulare  
 impietatis documentum est, quod de illo refert Nicephorus,  
 Julianum sc. jam moriturum, animam ecedente a cor-  
 pore, divinitus quodammodo quam pro hominum captu  
 protulit, oculos intendisse, ita ut Christum viderit, et ex-  
 clamasse: Saturare Nazarene. Qualem mihi finges  
 Atheistam Pharaonem, corde et ore a deo contumeliosu-  
 sum in Deum, ut quondam diceret, quis est ille Iseova,  
 cuius mihi iussa capessere fas est? Exod. 5. 2. Fi-  
 nit ille blasphemus Rabake realis Atheista? qui, au-  
 dientibus omnibus obsequio dura prepsis Iudeis, impia  
 haec protulit verba, ne audiatis Ezechiam, qui vos  
 spe defensionis divinae fallit? 2. Reg. 18. 32. Si  
 hi et reliqui ejusdem impii ingenii homines non sunt  
 reales Atheista, utiq' nullus datur in rerum natura  
 Atheista.

Pergamus jam ad Tertiam Atheistarum  
 Classem, quae eorum est, qui non nisi fictitia nu-  
 mina colunt, ut sunt Ethnici et Gentiles, de quibus  
 pag. 5. 6. super: quaedam dicta: quorum vitam et mores  
 talibus describit verbis Apostolus 1. Cor. 12. 2. quod erent ad

sua idola et simulacra; ea enim confitebantur in rebus ar-  
 duis, et absque eorum responsis non facile quicquam incipiebant;  
 eaque multa, nullum de se neque sonum neque vocem edentia; tan-  
 tum confitebantur prout dicebantur, sine consilio, sine iu-  
 dicio, sine cogitatione et cognitione veri Dei, ut bruta ir-  
 rationalia, non cogitantes quid facerent, aut cui cultum  
 praestarent, aut quid inde utilitatis traherent: hinc enim est  
 rat coevis et realis Atheismus, dum, neglecto vero  
 et vivente Deo, vivi a mortuis, loquentes a mutis, homines  
 a lapidibus et lignis, opifices denique ab operibus suis confi-  
 tum et opem supplices implorarent Deum vero et Chri-  
 stum ignorantes pro stultitia illud habebant, quin et  
 in occasionem calumniandi et blasphemandi converte-  
 bant. Pueris putis et realis hic est Atheismus eorum coe-  
 vis Gentilium, quibus tam multa ac multifaria fu-  
 ere idola, singularibus notata nominibus, sicut Iovis, Mar-  
 tis, Apollinis, etc. interim summi Dei ac Iehova plane igno-  
 ri, nullum, quod illi darent nomen, habuerunt. De omni-  
 bus istis saneatur pro certo illud Orthodoxorum  
 dogma; *νοσθε θεοί εσθε & θεοί εσθε*. Si tales Ethnici  
 non fuerint reales Atheista, utique nec fuerint realiter  
 impii, nec realiter damnati; et sic per con-  
 sequentiam malam Deus non realiter damnat  
 impietatem et Atheismum; et hoc est Dei  
 vitam iustitiam oppugnare.

Restat jam quarta. Atheitarum classis,  
 quae est eorum, qui agnoscunt quidem verum illum De-  
 um, factis autem illum abnegant, licet eum  
 ore confiteantur, quales sunt Pseudo-Christiani,

ab Apostolo sic descripti Tit. i. 16: hos iterum ad tres reducere potes classes, scilicet eorum, qui sunt Atheistae  
 1. Religione. Observetur hic probe Orthodoxorum regula et censura; Atheismus inchoatus est Samaritanismus; consummatus secundum quod est Puccianismus; absolute vero consummatus est Epicureismus. Samaritanismus est mixtura quaedam religionum, quae vix sternitur ad Atheismum; nomen habet à Gentibus, Samaritanam traductis, qui Gentilismum cum Judaica religione commiscebant, ut Historia Sacra testatur 2. Reg. 17. 32, 33. Hinc affinis est Syncretismus, qui ratione nominis est quaedam in mendacis collusio Tit. i. 12. secundum rem vero, est confusio religionum et cultuum, à ratione carnali, in tempestivo parvi studio, enata, imprudens ac foeda: qualis erat olim Pseudo-Apostolicus, Evangelium et Legem, Judaismum et Christianismum commiscens, Act. 15. 1, 5. Gal. 4. 9, 10. Hic Samaritanismus et Syncretismus, si conceditur, gignit tandem Puccianismum, qui quosvis homines opinatur in sua religione salvandos, auctore Franc. Puccio, à Francisco Junio refutato; cui assentiuntur tamen, non solum Maediavellenses, sed etiam, qui Christiani nuncupari volunt, quamplurimi è Pelagianis, Weigelianis, Remonstrantibus, Scholasticis et Reformatis, de quibus vid: Calov. System. tom. i. p. 177 sequ. Et haec est Theologia illa Pyrrhonica, in qua nulla, falsa et vera religio pari passu ambulat. Ut istum Samitanismum in Ecclesiam Dei introducerent Haeretici, nullam superioribus saeculis intermisissent, nec in hunc usque diem intermittunt operam: sed cum hoc stratagemata diabolo non sat feliciter cessit, aliud aggressus est, Puccianismum et Libertinismum inieciendo. Quot enim Maediavellenses huius temporibus invenies, quibus

religio est saltem religionis simulatio? Quot Pseudo-Politicos,  
 qui religionem unam pro se ferentes, omnes animi sententia  
 eodem loco habent, consiliis ex facto ipsi Atheismum pro-  
 fitentur? Omnis religio est illis, ut Papa Leonis X, saltem  
 fabula, quam pro libitu ex lucro, ubi illis placuerit, in omnes  
 effingunt formas, unam horam Christiani, altera Calviniani,  
 tertia Pontificii, mox Iudaei, dein Turca, et rursus in o-  
 mnibus nihil, similes hae ratione immiti illi Latroni Procras-  
 ta, qui omnibus suis hospitibus saltem unum praebebat lectionem  
 et si qui breviores lectos fuerint, corpus membramque protraxit,  
 et extendit, usque dum lectum longitudine aequarent, si vero  
 qui longiores, amputavit, quo longitudini responderent.  
 pari modo hi Maediavellista, Statista et Pseudo-Politi-  
 ci religionem pro libitu ac temporis ratione extendunt,  
 abbreviant. Equalem de religione mentem prodidit Joban-  
 nes Tormentus, dicens, religionem esse callidissimam  
 hominum inventionem, ad defendendum  
 honorem Principibus debitum, ad conservandos  
 Potentes ac divites proprios in suo statu, et ad  
 compescendam effrenam gentem. Et ut summam  
 omnia complectat, cunctos Haereticos, vel religiones omnes  
 confundentes, vel fundamenta fidei Christiana evertentes,  
 esse reales Atheistas, demonstrabo ex nominibus, quae  
 illis tribuit, et poena, quam illis minatur Spiritus San-  
 ctus: vocantur enim Pseudo-Propheta vestitu ovino, sed  
 animo lupino ac rapaci praediti, Matt. 7. 14 sequ. Angeli  
 tenebrarum in Angelos lucis se transformantes, 2.  
 Cor. ii. 13 sequ. inimici crucis Christi, Phil. 3. 18. Oves doli  
 non siles, Rom. 16. 18. Uxor Saepis, Act. 20. 29. propriam  
 turpitudinem evomentes, carnales, Spiritum non ha-  
 bentes, Jud. Ep. 4. 7 sequ. genimina viperarum, Matt. 3. 7.



filii Gebennæ, Matth. 23. 15. et ipsius Diaboli, Job. 8. 44. blasphemii, Synagoga Satana, Apoc. 3. 9. quorum dogmata & reuera sunt Ba' & r' Salavã, Apoc. 2. 24. fumus putei infernalis, Apoc. 9. i. quia via veritatis per illos blasphematur, et abnegatur Dominus, qui eos meratus est, 2. Pet. 2. i. quorum finis erit condemnatio, Phil. 3. 18. et tandem in inferno bibent de vino furoris Dei, et è poculo iræ ejus, torquendi igne et sulphure coram sanctis Angelis, et coramagno. etc. Apoc. 14. 10, ii. Collige jam mentem, et tecum repõta, annon hi sũnt reales Atheistæ, qui tam infamibus notantur nominibus, et quæ tam diris et malevolentis manet exitus? Revera et realiter sũnt Atheistæ, quibus cum verbo Dei ac religione sancta ut pila ludere placet; quanti enim estimabunt Deum, qui ejus religionem et cultum non majori estimant pretio? Et si ejusmodi homines, qui nullã, vel falsã, vel mixtã religione gaudent, non sũnt reales Atheistæ, nulla illis metuenda poena, nulla nobis opus religio: est quidem, sine nostra religione, Deus, sed an nullã, vel falsã, vel mixtã, vel simulatã religione Atheistæ salvari possint, hoc tandem Infernus illos docebit.

2. *Mente & corde*; dicit enim, inquit Galtes Gal. 14. 2. Ps. 53. 2. stultus in suo corde, nullum esse Deum. Ex hoc dicto talem elicit sensum Socinus, nullam dari Theologiam naturalem, quia dixit impius in corde suo, non est Deus: sed videamus, quæ sit mens. Psalmista, et verus hujus loci sensus contra ejus fallaciam et falsitatem apparebit. Observant nonnulli, vocem ~~non~~ dixit exponendam esse per velle, ut sensus sit, vult stultus, optat et desiderat, ne sit Deus, quæ facta perversa videat et vindicet; sicq; non negatur Dei existentia, sed providentia; hoc enim dicto nil aliud in

cogitatur quam proclivitas et inclinatio hominis in Atheismum  
 enim in statu peccati, ex qua verò non neganda. Gregorius  
 via naturam in se, distinguendum enim inter ignorantiam  
 simplicem et affectatam, de hac, non de illa loquitur  
 Isaias; aliud quippe est nescire, aliud, scire non velle quod  
 sit Deus, et tractatur hic non defectus notitiæ, sed affectus  
 malitiæ; adeo ut in corde suo dicere, non esse Deum,  
 non sit, penitus ignorare, quod Deus sit, sed non requirere,  
 sicut in sequenti inmittitur; ita se gerere, ac si nullus Deus esset,  
 vel nullus crederetur, quod ab illis etiam fit, qui optime  
 sciunt Deum esse: faciem huius explanationi præbet dictum  
 illud Psalmistæ, Psal. 10. 4. impius non querit Deum,  
 nec est in cogitationibus eius omnibus, i. e. Deus non  
 est objectum cogitationum eius, neque circa divina, spiritualia  
 et coelestia sollicitus est, profanis intentus, ita vivens, ac  
 si non esset Deus, nec ulla sensu aut reverentia Numinis  
 tangitur; credit quidem Deum ratione existentia, sed per-  
 tat eum adeo obliviosum, ut male patrata subito eius  
 memoria excidant, vel adeo coecum, ut ista non videat,  
 vel adeo mitem, ut non severe ea sit vindicaturus: talem  
 oblivionem & coecitatem Deo tribuunt Atheistæ Job. 22. 13,  
 dum dicunt, quid nosceret Deus fortis? an per ca-  
 liginem iudicaret? cui consonat illorum vox Psal. 94.  
 7. talem etiam Deo injustam tribuunt misericordiam  
 Sir. 5. 4, 6. dicentes, antea peccavi, sed quid mihi acci-  
 dit? Deus enim lentus est ac placabilis; misericordia  
 illius multa est: quam multa fuerint mea peccata,  
 pro singulari tamen sua clementia veniam illis da-  
 bit. Vide ne vivam et veram naturam Atheistam  
 rum picturam, quibus Diabolus non tam ater est, ut pin-  
 gitur, nec Deus tam severus, ut dicitur, et sic in corde per-

gant et quasi obfuscant verissimum illud Dei attributum,  
 eos <sup>21</sup> *excoꝛdator* supra. Si tales non sunt reales Athei,  
 te, ad infernum illos relegabis, quò à Diabolo discant, Deum  
 esse justum, et revera ac realiter puniendum illos, qui ~~ad~~ de  
 us omniscientia, providentia et justitia dubitant, et hono-  
 re ac gloria ejus Divina vel minimum quidem detrahunt.  
 Mündus regitur opinionibus, non vero Deus: Atheista cor-  
 e et opinione: qui hominibus est non-realis: aequè  
 realis reputatus est coram Deo ac Atheista ore  
 et vita, et ille non minus quam hic infernalibus  
 iudiciis ad iudicandus.

3. Vita; et hi sunt personati Diaboli, Deum qui  
 non norunt, ore profitentur, de hoc nulla illis dubitatio, nul-  
 cum aliis questio aut disceptatio, sed vita illorum im-  
 a est ipsius Dei abnegatio; facies Angelica apparet, sed  
 ta est Diabolica; talia enim atrociora facinora, in Deum  
 rum, omniscium, justum & omnipotentem audaci com-  
 itunt ac perpetrant mente, quælia non audent idolo-  
 tra in sua muta et mortua simulacra: coram altari-  
 ac throno Dei quasi supplices in genua procumbunt,  
 loco sacrificii impia sua peccata offerunt: verbum  
 Dei audient & serunt, sed nil minus illis cordi est,  
 vam juxta normam verbi Divini vitam institueri:  
 sciunt quidem unico ac summo Deo esse fidendum,  
 lig' omnem honorem deferendum, sed loco Majestatis  
 Divina sua proprii honoris, voluptatis, divitiarum &  
 meritorum erigunt adoranda idola: habent os Chri-  
 tiani, cor Judæi, pedem Ethnici, manum Atheistæ, vi-  
 am Diaboli, confitentur Deum et non colunt illum, pro-  
 fitentur Christum et non credunt in illum, sciunt, quæ

